

recto concambio in allodium absolute et libere possidendum donavit. Pro cuius allodii libera et absoluta donatione Lodewicus lantgravius et uxor eius prenominata et filii congregatis manibus versa vice predicte ecclesie sub abbate Burkardo pro recto concambio dederunt quoddam allodium suum in Wüdenesberg cum omnibus pertinentiis agris vineis
 5 silvis cultis et incultis pascuis pratis aquis aquarumque decursibus molendinis viis inviis exitibus et redditibus. Et preter hec omnia in quadam villa Strowe nuncupata tantum allodii donaverunt, quod singulis annis octo libras persolvat ecclesie Fuldensi et insuper in alia villa Hattenhusen aliud allodium tres libras item singulis annis persolvens. Ut autem huius mutue donationis confirmatio rata permaneat et omni evo nota et inconvulsa
 10 consistat, presentem inde paginam conscribi et sigilli nostri impressione iussimus corroborari statuentes, ut, quecumque persona magna vel parva huius imperialis pagine edictum infringere presumpserit, centum libras auri purissimi persolvat, medietatem camere nostre et aliam partem illi, cui illata est iniuria. Huius rei testes sunt. Philippus Coloniensis archiepiscopus. Eberhardus Bambergensis episcopus. Gero Halverstadensis episcopus.
 15 Henricus dux Bauarie et Saxonie. Otto palatinus comes de Witelinesbach. Comes Emico de Liningen. Comes Boppo de Hollinde. Comes Rodolphus de Cigenhagen et comes Gozmarus frater eius. Comes Boppo de Hanestein. Comes Bertholdus de Schowenburg. Comes Everhardus de Seine. Comes Albertus de Balnehusen et filius eius Conradus. Marquardus de Grumbach. Sibodo de Frankenstein et alii quam plures.

20 Signum domini Frederici Romanorum imperatoris invictissimi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M^o C^o LXX, indictione III, regnante domino Frederico Romanorum imperatore gloriosissimo, anno regni eius xviii, imperii vero xv; feliciter amen; datum Frankenfurt viii kal. augusti.

370.

25 *Abt Burchard von Fulda beschenkt ein Hospital mit Gütern, die er vom Landgrafen Ludwig er-
 tauscht hat.* 1170.

Gedr.: Schannat, Hist. Fuld. Prob. 194.

In nomine sancte et individue trinitatis. Burchardus divina favente clementia Fuldensis abbas. Divinis et humanis legibus sancitum est, ut privilegiis ecclesiarum, que
 30 contra ius non sunt usurpata, tanta debeatur reverentia, ut, quicquid in his iuste et rationabiliter factum fuerit, nulla hoc ecclesiastica secularisve persona retractare possit, in his enim non solum malignandi facultas subtrahitur, verum etiam posteris in futurum provida circumspectione consulitur. Eapropter ad notitiam tam presentium quam futurorum presenti scripto deducimus, qualiter in concambio, quod inter nos et provincialem comitem
 35 Thuringie Ludevvicum de Creuziburg factum est, inter cetera, que ex ratione legitime commutationis nobis ab ipso collata sunt, quasdam possessiones, que ad redditus eius libere spectabant in Strowe, ab eodem principe recepimus. Nos vero eterne remunerationis participes fieri desiderantes easdem possessiones cum omnibus pertinentiis suis,